



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi

Clagius, Thomas

Coloniae Vbiorvm, 1659

XIX. Octo iduum Juliarum dies.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11544

ac Deiparæ persolvit. Mater enim veneno per malefici-
 ficium propinato contabescebat, ut nulla vitæ spes
 reliqua esset; filia verò variolis faciem totam, non
 tam opplentibus, quàm crustæ instar obtegentibus,
 non levi in periculo versabatur; utrumque feliciter
 depulsum est; non alio, quàm voti Lindam facti præ-
 sidio; quid restauratâ quotannis peregrinatione cura
 imploratur, tum confirmatur. Jam verò Barbara, fi-
 liam quoque viæ peregrinationisque comitem ad-
 duxit: præsertim cum & filia (quemadmodum plures
 ante annos mater) vehementibus capitis doloribus
 vexata, requiem & levamentum Deiparæ ope inve-
 nerit. Quod ipsum quodammodo in se experta alia
 è Ducatu mulier non catholica, Joannis Furlacientis
 Tauk Rheinensis castri pago uxor Anna. Duodecim
 enim hebdomadas febrem passa, voto Lindam facta
 liberata; cum vorum sive negligentâ suâ, sive variis
 intercurrentibus obstaculis differret, febrî hoc ite-
 rum anno recurrente, Lindam novè iterum voto re-
 currit; exindeque sanè, non amplius procrastinan-
 dum aut cum Divis ludendum rata, quantocytus Lin-
 dam iter instituit.

C A P U T XIX.

Octo Iduum Juliarum dies.

Nonas Julias, quæ etiam *None Caprotine* dictæ, ex
 causis à Macrobio (a) Plutarcho (b) allatis, ex-
 cipiebant apud Romanos Ludorum Apollinarium
 dies consequentes; quibus Ludis vetus illud, quod in
 pro-

(a) *lib. I. c. ap. II.* (b) *in Romulo.*

proverbium deinde abiit, natum est, *salva res, cum
altat senex*. Salva profum, apud Lindam Marianam
res est, ubi Deo, per Matrem suam operante, non
modò senex, verùm, ut divini vatis (a) utamur ver-
bis, *salit sicut cervus claudus*. Quod cum aliàs non ra-
do, cum & his diebus factum jam videbimus.

I.

Claudis quibusdam subveniunt.

Ipsæ votivæ Tabellæ his diebus oblatæ, claudo-
rum curationem attestantur. Nam ad vi. Id Jul. effi-
gies pedis, ex argento expressa cum adjuncta catenu-
la, dedicata, & Aræ majori affixa est; haud dubiè, ob
depulsam aliquod pedum vitium. Sed & ad iii. Idus
Julias virgo quædam Brunsbergensis, eadem de cau-
sa, cum adnexa catenula parvam pedis effigiem, ana-
thema suspendit. Eâdem quoque die Dominus N.
Nenchem Consulis Heilsbergensis filius, & ipse, suos
inter cives spectabilis, non alia de causa peregrina-
tione suâ functus est. Prius, quàm jugum subiisset
matrimonii, sive ischyade, sive aliis coxendicem infi-
dentibus doloribus, ad claudicationem utque ali-
quam est adactus. Eques quocirca Lindam, non sine
maximis doloribus agrè pervenit; sed ubi supplex
Deiparæ factus Lindæ est, citra omnem dolorem, ac
planè sanus remeavit domum. Jam matrimonii im-
plicatum jugo idem, aut similis morbus occupavit, &
ad terram nonnihil inflexum, præsertim ambulan-
tem, tenuit; eâ pertinaciâ, ut nihil herbis, nihil aliis

D d d 4

ceder.

(a) Isa. 35. 6.

cederet fomentis. Cessit tamen voto, quod conjux
 (mariti causâ Lindam nuncupavit; quoque seipsam ad
 pedestre iter Deiparæ obstrinxit. Inde morbo tolu-
 tus, & ipse Lindam accessit, atque suæ Liberatrici
 Tabellam argenteam, nigro undique ligno inclulam
 dedicavit. Ex eodem quoque Heilsbergensium mu-
 nicipio, sub hoc ipsum tempus, atque eadem fere de
 causa sua reddiderunt vota, tum Dorothea Bartholo-
 mæi Parsch, ex Lauternhagen conjux, tum Elisabe-
 tha Thomæ Preils, ex Medigen coloni itidem uxor:
 illa ante octo jam annos, per aliquot hebdomadas
 morbo afflicta, incedendi facultate erat destituta:
 hæc sciathicam per aliquot itidem hebdomadas
 passa, ad easdem prope incitas erat redacta: utraque
 sanitatem Deiparæ Lindensi in acceptis apud Lin-
 dam retulit.

II.

Heilsbergenses nonnulli morbis erepti.

Andreas Dick ipsius civitatis municeps per duo-
 deviginti circiter menses eâ noxâ affectum habebat
 brachium, quæ nullam homini quietem relinqueret.
 Ambulando, aut potius currendo, non tam malum
 ipsum, quàm continuus & infixus membro dolor,
 utcunque erat discutiendus. Discussus nihilominus,
 & quasi à stirpe revulsus est, postquam æger primam,
 octo jam ante annos, profectioem Lindam fecit;
 quam consequentibus deinceps annis nunquam in-
 termisit; ne quid de grati in Deiparam animi officio
 videretur remisisse. Andreas quoque Preils Heils-
 bergensis civis, novem hebdomadarum febris pro-
 stra-

tratus decumbebat. Allevari fortasse nonnihil potuisset morbus, si conjugii sua constitisset valetudo; verum & hæc eodem prostrata morbo, ope, quæ marito impendenda erat, quàm maximè indigebat. Opem utrique facilè impendit Deipara, apud Lindam votum invocata. Quam quidem opem, ex eodem municipio sensit Christophori Glohm Schulens inquilini filia Dorothea. Capitis dolor non quidem diuturnus, quippe hebdomadam vix excessit, sed perquam vehemens erat; & profligatis brevissimo tempore viribus, ægram lecto affixerat. Facilè tamen, & morbo & lecto est levata, postquam, voto Lindam edito, allevantem DEIPARÆ manum sensit.

III.

Bisteinensium quidam eadem beneficia consecuti.

Suburbium Bisteinense incolebat Andreas Ginter, cum hominem morbus invasit; qui hebdomadas quatuor ita tenuit, ut præ acerbitate ac vehementia doloris, retinere animam vix amplius posset; cunctis de vita ejus palàm desperantibus. Retinuit nihilominus & vitam, ubi implorata apud Lindam DEI Mater, quasi medicâ manu, & dolorem & morbum omnem absterfit. Quod ipsum uxori quoque illius, per septem hebdomadas, jam ante quinque annos periculosè decumbenti evenerat. Pari enim tum facultate, tum facilitate, quidquid erat morbi, jam tum dispulerat. Quod etiam hoc tempore præstitit filiolæ Matthæi Weis Cæcilæ, quæ febri novem mensium, neque pro ætatis, neque pro virium jam

D d d 5

pro-

prostratarum imbecillitate resistendo aut perferendo erat. Pertulit tamen, quin & repulit malam; ubi imploratum Deiparæ auxilium præstò fuit.

IV.

Resseliensium nonnulli morbis levati.

Ad VII. Id. Jul. civitatis Resseliensis Notarius Dominus Michaël Castnerus, comite uxore Catharinâ Brandin, Lindam venit, & tabellam argenteam *B. Virginis*, ut vocant, *dolorosa*, effigie insignem dedicavit; quæ & relevatæ nonnihil valetudinis monumentum esset, & ipsi de penitus restituenda argumentum. Paralysis repentina hominem, diu jam antè invaleverat, & in hemiplegiam desisse videbatur; dimidium enim corporis, præsertim verò manum ac pedem iræ occupârat, ut velut influente destitutum spiritu, & motu destitueretur & sensu. Nullum genus medendi intermissum est, sed maxima spes medicinæ & salutis in Deipara Lindensi collocata; præsertim ubi manus atque aliæ medentium artes parum omnino profecerint. Tum enim vero ille majore fiduciâ, Dat Matrem interpellare, & non domi modò supplices fundere preces, verùm & Lindam, cum morbus permitteret, identidem proficisci. Et ipse factus est, & eventus quoque docuit, singulariter à Deipara fuisse adajutum, præsertim cum non curru duntaxat, verùm & pedibus (quos neque domo, neq; adeò lecto promoveri quoquam poterat) extra civitatem progredi jam posset. Quo ille Deiparæ beneficio magnopere lætus, non destitit citra moram, ad agendas Lindæ gratias, iter maturare, & unâ Anathema dictum offerre. Non
m ino

minorem, in minore quidem, etsi non admodum
dissimili malo, videtur opem experta Joannis Ploin,
cauponis quondam Bischdoiffensis filia Catharina.
Per decem circiter hebdomadas coxam & femur si-
nistrum gravissimus occupârat dolor; qui tamen ilico
recedere coactus est, postquam ægra vovit. principio
quidem se Lindæ Aram majorem geniculatim primo
quoque tempore obituram, postmodum verò quo-
vis anno, quoad vita & vires ferrent, sacram Lindæ
locum revisuram.

V.

Traumburgensium quibusdam succursum.

Dietersdorff libertinorum pagus est, Traumbur-
go haud longè dissitus. Ex eo Urbani Grunwald
uxor Anna, profectionem, cum suo, tum filiz nomi-
ne antè promissam, instituit Lindam. Conficiebatur
Agnes filia, uti quidem videbatur, febris; re autem ve-
râ, maleficiis (quibus affectam fuisse postmodum
constitit) sensim contabescebat. Eum in modum de-
ficiente filiâ, mater Lindam votum concipit, & fili-
am, ut idem faceret, induxit. Malo sensim remittente,
filia votum exolvere non distulit, matrique exem-
plo præivit, ut & illa pedem utrumque miserè affe-
cta, adeoque clauda, simile à Deipara beneficium ex-
spectet. Ex eodem pago Laurentii Hilbrand liberti-
ni uxor Catharina, ob luem, quâ totius villæ pecora
conficiebantur, votum Lindam nuncupavit: & quia
singulare ab eo tempore sensit Deiparæ auxilium, ne
quid de grati animi laude moras nectendo detere-
ret, citra moram solvendi voti causâ Lindam perre-
xit.

VI. Bruns-

VI.

Brunsbergenses variè adjuti.

Ad vi. Id. Jul. Brunsbergâ, & positus in vicino pagis adfuerunt Lindæ circiter triginta homines, quos consequentibus diebus alii plures consecuti sunt. Hos inter generosus Dominus N. Stoffel ordinarius militum Varmiensium Procenturio, Anathema Dei paræ Tabellam argenteam è catenula itidem argentea pendulam fixit. Monumentum id quoque est, auxilii in paralyfi, quâ diu laborabat, præstiti. Jam verò Joannes Manitz civis itidem, & Vitriarius Brunsbergensis feбри continuas novem hebdomadas conflictatus, nullo alio nisi voti Lindam editi remedio persanatus est. Neque quidquam ad confirmandam, collocandam in tuto valetudinem decrat, quàm ut ille voto ritè defungeretur, iterque Lindam acceleraret. Verùm, ut sunt hominum mores, secundæ jam res adversorum memoriam, aut certè sensum, & remedia illi quoque abstulerant; præsertim cum quædam, quæ hominem haud gravatè distinerent, intervenissent. Nuptiæ quædam apparabantur, quibus ille operam magis suam, quàm sibi necessariam reputabat; aut, si non ita reputabat, differendo Lindensem profectioem, aliis ita reputandi ansam dabat. Ne porrò se magis quàm superos ludificaretur, iisdem propè vestigiis, quibus recesserat, febris rediit, & hominem alias septem hebdomadas graviter afflixit. Tum enim vero *Phyx plagis* melior; iterum Divæ Lindensi supplex advolvitur, & iterum morbo levatur; levatusque iter quindecim minimùm leucarum

pedes

pedes magnâ alacritate ingressus, non minore decurrit. Non erat iteratò stimulo ad decurrendam hanc viam opus tum Michaëli Flieg, tum Martino Lang, civibus itidem Brunsbergenfibus: quorum hic ventriculi dolore per hebdomadas sex, ille verò febris per octo laboraverat hebdomadas. Uterque voto Lindam nuncupato sibi restitutus, citra novum stimulum profectioem Lindensem, quam promiserat uterque, pedes absolvit. Non dispari alacritate, idem ementa est iter Joannis Scheppel operarii Brunsbergenfis conjux, quæ comitiali morbo ab aliquot pressa annis, cùm Deiparæ Lindensis ope, eo fuisset exempta, iterum iterumq; Lindam adit, ut iterum atque iterum gratam se & beneficii memorem contesterat.

VII.

Meelfaccenses similibus affecti beneficiis.

Ad III Id. Jul. quosdam suorum comitatus est, qui propemodum omnes superiore anno duxerat Lindam, adm R. D. Archipresbyter Meelfaccensis. Erat inter alios generosus D. Petrus Schwengel Burggravius, ejusdemque conjux Catharina, suo, & filii nomine voti rea. Ipsa enim periculoso uteri profluvio redacta eò demum erat, ut alterâ jam hebdomadâ non remittente morbo, nihil aliud nisi mortem præ oculis haberet, & ad eam sacro muniretur viatico. Occursum est tum morti, tum savienti et jam nam morbo, ubi votum ad B. V. Lindensem intervenit: eodem enim tempore, & spes vitæ, & salus agræ rediit. Simili voto rediit, & sua bimulo filiolo salus, Hercules morbus adhuc infantem invaserat, &

non

non semel intra diem concusserat : qui tamen redire amplius non potuit, postquam infantis causâ, votum à parentibus Lindam missum est. Par fere exceptit fortuna Eustachium, Joannis Schroter è Damerat Meelsaccensis coloniae pago filiolum quadrimum. Quatuor hebdomadas ægrotus, nullam vitæ spem reliquam faciebat; ut & cereus tanquam morituro porrigeretur accensus, & vicini ad complorationem promote, confestim accurrerent. Eodem planè tempore, mater ex morbo decumbebat, ut à solo patre, si qua esse posset, spes exspectaretur salutis. Non defuit partibus suis pater; Lindam enim filium devovit, & sanum exinde habet; quem mater paulò post restituta, Lindam deduxit; & ad suam filiique causam, pectoris (cujus ægroti curam eidem patronæ commiserat) conservati ergo, gratias, uti par erat, solennes adjecit. Ex eodem pago, eâdem ipsâ die Andreas Eichholtz unâ cum Catharina uxore, & se, & Petrum filiolum sexennem, filiamque octennem Deiparæ voti reos præsentés stiterunt. Ipse enim pater, cum frequentius, præsertim in Templo, linqueretur animo, mater verò ternam prolem continuò mortuam enixa cum esset, idemque periculum iterum gravida vereretur, voto se Lindensi Deiparæ obstrinxerunt; & tum in se, tum in liberis auxilium sunt experti singulare. Nam & filiola, cum membris omnibus esset contracta, neque usquam per hebdomadas sex progredi, aut loco se commovere vi suâ posset; & filius, cum periculoso teneretur morbo, ab ipsa voti nuncupatione sanitati sunt redditi. Aut parem aut nihil

pro:

propè minorem filiis suis, Eliæ quadrimo, & Georgio necdum bimulo, impetravit Michaël Rickwart, ex ejusdem municipii pago Stengenem dicto libertinus. Calculo Elias ita affectus erat, ut, cum urina per triduum invenire meatum non posset venter, adeoque totum pueruli corpusculum enormiter iterum atque iterum intumesceret. Simul à parentibus votum Lindam factum est, puer ab eo tempore sanatus, liber hucusque eo malo perstitit. Cujus causam dum pater, comitante uxore Margaretâ Lindam profecturi Georgium domi relinquerent, puerulus ad ferrum è fenestra prominens, manicâ interceptus adhæsit, indeque pendulus brachium sinistrum luxavit. Adhibitus est chirurgus, qui in eo mali genere, alioqui peritissimus habebatur: sed ob teneritudinem ossium, ne quidem tentare pueruli manum potuit. Parentes quocirca illum peregrinationi suæ & votis antea factis adjunxerunt, & manus pueruli præter spem, continuò sanate est. Geminam ergo prolem isti parentes Divæ Lindensis beneficio incolumem habent: at alii ex ejusdem municipii pago Zeugninen dicto quaternam. Andreæ Hoffman tres filia & filius unus erat, quorum nullius ætas nonum annum excefferat. Filia cum primùm loqui ac frangere verba inciperent, nusquam flectere in articulos vocem potuerunt, ut deinceps promovente jam ætate minùs promoverent verba, sermoque nusquam adolesceret. Interpellata à matre divini verbi Mater, ut omnes & articulatè & purè loquerentur, facul-

facul-

facultatem concessit. Quod ubi mater est consecuta, non dubitavit filiolo fere sexenni, eodem laboranti vitio, beneficium idem implorare; quem eadem de causa unâ cum filiabus ad VI. Idus Julias Lindam deduxit. Atque huac in modum exerrante his linguâ, Simoni Erntan, Ædituo Meelfaccensi, non jam lingua, sed mens & ratio exerrabat. A duarum hebdomadam in somnibus diebus æquè ac noctibus, & predominante interim morbo delirium id ortum erat: quod tamen imploratâ Divæ Lindensis ope facillimè discussum, eaque de causa pridie Iduum gratiæ apud Lindam actæ.

CAPUT XX.

Reliqui dies mensis Julii.

TRansvectionem Equitum Romanorum, Idibus Quintilibus fieri solitam, quam Dionysius Halicarnassæus (a) egregium spectaculum, dignumque imperii magnitudine, vocat, excipiebant consequentibus inde diebus tum *Lucaria*, *Turrinalia*q; sacra, tum *Neptunales* atque *Circenses* ludi. Plures iisdem diebus apud Lindam Marianam intervenerunt feriæ, sive sapientiæ divinæ ludi; quippe coram Domino (ut ipsa (b) gloriatur) *Ludentis omni tempore; ludentis in orbe terrarum;* cujus etiam *delicia, esse cum filius hominum.* Ad quorum quidem ludorum spectacula, plurimi undique mortales concurrere, tametsi solito pauciores in commentariolos relati; sive ob ejus, qui referre solebat, absentiam; sive ob aliorum multitudinem gravitatemque negotiorum.

I. Pro-

(a) lib. 6. (b) Prov. 8. 30.